Vua magis cæteris hornis rebus alit, præſertim ualde matura, minus quã ficus alit. Proſunt cum ex aluo propere abeũt manſæ uuæ. Si diutius immorentur in aluo, plurimũ lędunt, nam non concoquuntur, ſed exundant ad iecur uenasq́;, crudũ gignẽdo humorem, haud facile in ſanguinem commutantur, ob circumfuſam pellem, & acinos & uinacia, quæ exareſcunt. Ideo non male ab aliquibus expuitur cutis, carnem & ſuccum exuggendo, quibus aluus leuatur. Seruatæ in hiemem uuæ ſunt eſu utiliores.

σταφυλή

Turbat aluũ recens uua oĩs. et ſtomachũ inflat. Dioſ. li. 5. cap. 3.

De incipientibus ab X.

XAnthium, hoc alij phaſganium, alij philantropum, alij chœradoleſthrum, huius fructus diſtrahẽdi potentiæ eſt. Coctio autẽ corticis radicis pota, ſplenem eliquat, & dentes concuſſos cõfirmat cum uino coctum & potum. ξάνθιον

Xyris, ut quidam xyrida, tenuium partium eſt, ac diſtrahendi eſt potẽtiæ atq́; arefaciendi radix quidem, ſed multo magis fructus, urinam cit, & durato ſpleni opitulatur. ξυρίς

Xiphium, xiphij radix, præcipue altera quam ſupra memorauimus, trahendi potentiæ eſt, & diſtrahendi atq; arefaciendi.

De incipientibus ab Y.

ὑάκινθος

HYacinthi radix bulboſa primi eſt in arefaciendo ordinis, in refrigerando autem ſecundi, impuberes autẽ plurimum pueros cuſtodire creditur cum uino appoſita, fructus eius mediocriter acerbeſcit ac abſterget, ideo arquatis cum uino datur, arefaciens in tertio ordine, inter caliditatem frigiditatemq; eſt.

Hydna omnibus cognita, inquit Galenus, magis terreſtrem dominantem habet eſſentiam breui quadam ipſi mixta partiũ tenuitate.

ὑδροπέπερι

Hydnopeperi, ut alij hidropeperi, in aquis herbula naſcitur, ſimilis folijs et ſurculis hedioſmo, de quo ſupra, certe maior guſtu acuta fere ut piper, ſemina uero minuta habet in ſingulis folijs, id autem calidũ, ſed non ſimile piperi. Viride autem appoſitum hypopia, hoc eſt lenticulas et neuos curat, utuntur autem ipſo pro condimento aliqui piperis loco.